

etiam somnijs fidem habent: si fortè super placito & bene auspicante somnio euigilauerint, consurgunt, vel de nocte concubia, & omen cantu ac choreis sequuntur. Templà, ædesvé sacras, ritus, cæremonias, disciplinam nullam habent, vti nec leges aut artificia politiamvé vllam, præter certos mores & consuetudinem, quorū sunt retinentissimi. Si quem Veneficus respondit, ad certā diem moriturum, is deferitur ab omnibus; quin ipse adeò miser, vtpote iam mortis certus, ultro sibi inediam atque omnium incuriam indicit, credo ne videatur contra fatum pugnare.

Quin etiam si fortè ad præstitutam diem, vt sæpe fit, moribundus non videatur, pro se quisq³ proximi vrceis frigidæ in ventrem miseri inuergendis celerant mortem. Hæc pietas est Sathanæ mancipijs: ita quoque nimirum, quia semper fallax est, diuinus nunquam fallit; quāquam natio ista decepatrix aruspicum multum iam de auctoritate suā ab aduētu Gallorum amisit; passimque nunc quiritantur, suos iam Diabolos viribus excidisse,